



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid sit condignum praemium & aequale bonorum operum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Duplex est opus bonum : propitiatorium, id est, quod meretur remissionem & salutem omnibus: hoc unicum in mundo, id est mors Christi. Aliud opus dicitur Eucharisticum, id est, laus, quo Deum honoramus, confitemur, inuocamus, gratias agimus, quo seruiamus proximo, & carnem nostram castigamus: Hæc omnia sunt opera Christiani iustificati, sed non illa opera propitiatoria, sed laudis, &c. & non merentur iustificationem, sed retinent.

CAP. XII.

ARGUMENTA.

1. *Quid sit condignum præmium & æquale bonorum operum.*
2. *Quid sit præmium gratiæ, & quantum se extendat.*
3. *Quare Deus adeò largus est in distribuendis præmijs.*

AEquum & condignum præmium est & dicitur, quod respondet secundum rigorem iustitiæ labori, sicut mercenarius pro labore suo accipit condignum meritum & præmium, de quo dicit scriptura Deutero. 24. Non negabis mercedem indigentis & pauperis. Tobie 4. Quicumq; tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te non retineatur & moretur. Et sic Luc. 10. & 1. Timoth. 5. Dignus est operarius mercede sua, & Ro. 4. merces donatur secundum meritum, & non ex gratia : respondet igitur hoc præmium secundum humanam & diuinam iustitiam labori. Et sic nullum est nobis præmium coram DEO. Nam cum omnia fecerimus, adhuc serui inutiles sumus, Luc. 17.

Præmium